



## The Holy See

---

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **KIMBENSIS** IN PAPUA NOVA GUINEA NOVA  
CONDITUR DIOECESIS KIMBENSIS Cum ad provehendam aeternam salutem gregis Dominici eiusque regimini facilius  
et efficacius consulendum petitum esset nuper ut, quodam seiuncto territorio ab archidioecesi Rabaulensi in Papua Nova  
Guinea, nova constitueretur dioecesis, Congregatio pro Gentium Evangelizatione, omnibus mature perpensis habitoque  
pariter faventi voto Venerabilis Fratris Adolphi Titi Yllana, Archiepiscopi titulo Montis Corbini atque in eadem Natione  
Apostolici Nuntii, admotam postulationem censuit esse accipiendam. Nos igitur, Qui gravissimo fungimur munere  
supremi Pastoris universae catholicae Ecclesiae, talem sententiam ratam habentes, summa Apostolica potestate haec  
decernimus. Ab archidioecesi Rabaulensi separamus territorium districtus civilis, qui patrio sermone nuncupatur New  
Britain (East et West); ex eoque novam condimus dioecesim *Kimbensis* seu vulgo Kimbe, quam metropolitanae Sedi  
Rabaulensi suffraganeam facimus atque iurisdictioni Congregationis pro Gentium Evangelizatione subicimus. Praeterea  
iubemus episcopalem sedem poni in civitate Kimbe atque templum ibidem exstans, Deo in honorem Mariae Auxilii  
Christianorum dicatum, ad dignitatem cathedralis ecclesiae evehimus; cetera vero secundum canonicas leges  
temperentur. Quae praescriptis perducet ad exitum praedictus Venerabilis Frater Adolfus Titus Yllana, qui, re acta,  
curabit documenta exaranda sincerisque exemplis Congregationi pro Gentium Evangelizatione mittenda. Hanc denique  
Constitutionem Nostram iugiter ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud  
Sanctum Petrum, die decimo secundo mensis Iunii, anno Domini bis millesimo tertio, Pontificatus Nostri vicesimo quinto.*

ANGELUS card. SODANO

IOANNES B. card. RE

*Secretarius Status*

*Congr. pro Episcopis Praef.*

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

Iosephus Conte, *Protonot. Apost.*

---

*s.n.*

\*A.A.S., vol. XCV (2003), n. 12, pp. 803-804 © Copyright 2003 - Libreria Editrice Vaticana